



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

7. Timor Domini salutaris, Olea. Alnus. Robur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

memorare mortem certam, Judicium districtum, supplicium sempiternum; & non peccabis: nam horum qui meminit, non peccat, dum meminit: non quia meminit tantum, quid enim ad rem meminisse solum? sed quia memoria, tanquam fistuca, Palos Timoris salutaris sibi infigit, quibus ipse transfixus, omni humore vitioso liberatur, & redditur in bono firmus, constans, immobilis.

ARTICVLVS VII.

TIMOR DOMINI SALUTARIS

Olea. Alnus. Robur.

NON est reticenda Palorum, quos ad Aedificationem nostram necessarias esse probavimus, materia, nec hujus transilienda consideratio, cum sit utilissima, ut Timoris natura penitus inspiciatur. Materiam nominat Vitruvius tres arbores, *Oleam, Alnum, Robur*, in quibus invenio symbolicè significatas eas qualitates, quæ Timori inesse debent, ut ad fundandi effectum sit idoneus.

I. **OLEA** solum est Misericordiae. Ita ferri debet Timor in DEUM Justum, ut Misericordem etiam contempletur. *Olea* luctatoris est hieroglyphicum, quod oleo olim ungerentur pugiles:

Cetera populeâ velatur fronde juvenus

Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.

canebat Poëta. (a) Oportet Timorem esse fortem, animosum, luctatorem, qui omnibus mollitiei affectibus

(a) s. *Aeneid*,

bus se opponat, passiones teneritudinis aggrediatur, adversarios serix conversionis oppugnet.

Olea pacis est reffera.

Paciferaque manuramumpræ tendit oliua.

Et supplicis animis

----- *Centum Oratores*

Ire jubet ramis velatos Palladis omnes.

Velati ramis olea, veniamque rogantes.

Et tranquillitatis. Hinc illud *Oleo tranquillior*. Et naturæ hoc ad eò tranquillæ perhibent, ut mare, rem omnium turbulentissimam tranquillet. Timor Domini, qui sit initium Sapientiæ, inhære debet animæ, ad pacem cum DEO, ad quietem secum, ac cum proximo stabiliendam compositæ; debet esse mentis demissæ, humilis, ac suppliciter veniam postulantis.

II. *ALNUS* est arbor, quæ ex aqua provenit, ideoque aquosis gaudens locis, ita fortasse dicta, quod amne alatur. Nascitur juxta fluvios, aquis obruta, inquit Vitruvius. Vnde & lignum ejus ad navalem materiam imprimis commendatur.

----- *fluctibus aptior Alnus.*

canebat Lucanus. Aqua, ut sæpius est probatum à nobis, in arcano sermone, Gratiam Spiritus divini significat, ex qua nisi Timor, ut ex aqua *Alnus*, procedat, ad fundandam Domum Sapientiæ est inutilis. Non enim Timor naturalis, qui viribus naturæ gignitur, sed supernaturalis solum, quæ Gratiæ est Christi, seu Spiritus-sancti fœtus, ad fundandum hic valet. Si sit præterea, sicut *Alnus*, ut non facile corrumpatur: quod *Alno* tribuit Vitruvius. Immo, ut idem scribit, in palustribus locis palationibus crebro fixa permanet immortalis ad æternitatem. Non

Timor

(a) *Æneid*, 8. (b) *Æneid* 7. (c) *Æneid*, 11. (d) *Plini*. lib. 2. c. 103.

Timor diarius, non horarius, multo minus momentaneus, sed firmus, & quadamtenus incorruptibilis est. Initium Sapientiae Timor Domini manet in aeternum. Alno incorruptibilior, est magis immortalis. Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi. Psal. xviii, 10.

III. ROBUR, ultima Palorū ad fundamenta aptorum materia, est species arboris glandiferæ durissimæ, fortitudinis, ac firmitatis inconcussæ hieroglyphicū. Omne quod forte est Robur vocamus scribit Servius, & passim tum pro animi fortitudine, tum pro corporis firmitate, per translationem, sumitur: magnitudinis vastitatisque est visendæ. Debet esse Timor tuus roboreus, firmus, fortis, & qui magnitudine ac vastitate totam animam, ejusque facultates omnes occupet: qui expandat ramos ab appetitu rationali ad sensitivum: ut non solum voluntatem afficiat, sed sensum quoque. Talis est Timor, qui horripilationem, tremorem, gemitus, & alias animi ac corporis commotiones gignit. Hic si quis alius, tati- quam Palusex robore, animam transfigit, expellit peccatum, & firmitatem inducit insuperabilem.



SERMO XIV.

FUNDAMENTA

Domus Sapientiae

Seu

Ædificii Spiritualis

VERBUM DEI. BONVM EXEMPLVM
CATECHISMVS. CONCIO. EXHORTATIO.

PRÆ-